

tiam, oculi beatorum ita queant clarificari, ut essentiam Dei videant? sane affirmativæ videtur esse subscribendum. Non enim temerè ob rationes Physicas, ex communi naturæ cursu petita, infinita DEI potentia coarctari, vel ejus vires juxta captum nostrum dijudicari debent. Nunquam enim satis fuerit homini felicitis ingenii, cogitare omnia magnifica, ingentia, immensa, de ineffabili omnipotentia DEI. Nam quotusquisque nostrum ignorat inscitiam suam? Quam tum demum cum vera sapientia commutabit, ubi non invitus, at verò lubens fatebitur, se nihil scire, uti præclare scribit Scaliger, Exerc. 368. sect. 9.

CI.

Eandem moderationem adhibuit Augustinus, qui lib. 22. de civ. Dei. c. 29. in dubio voluit relinquere, num oculus gloriosus divinam essentiam in altera vita sit aspecturus. De potentia Dei non quidem facilè dubitandum est; ipsius tamen voluntas, quoad futuræ visionis modum non satis videtur expressa: Ideoque magis annitendum est, quomodo ad beatæ visionis jucunditatem perveniamus, quàm ut de illius qualitate & modo multa sollicitè disputemus. Præstat enim magis talia fructuosè experiri, quàm de incertis curiosè altercari, quippe quæ sine crimine ignorantur, sed non sine discrimine indagantur.

CII.

Membrum VII & ultimum.

ΠΟΡΙΣΜΑΤΩΝ QUORUNDAM ET LOCORUM
COMMUNIUM ΕΠΙΣΗΜΕΙΩΣΙΣ.

Quantumvis loci morales & practici ad suggestum magis, quàm ad cathedram Academicam spectent, ut tamen plena sit hujus testimonii expositio, unam & alteram è verbis Jobi fluentem doctrinam colophonis loco subjungemus.

CIII.

De unitate
& consensu
fidelium.

I. De unitate & consensu fidelium: Huc collimat Jobus, cum ait: *Et ego scio, hoc est, eandem cum aliis fidem habeo, & eadem spe resurrectionis me sustento.* Nam ut unus omnium fidelium Deus est, Deut. 6. v. 4. 1. Corinth. 8. vers. 6. & unius Dei